



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

PSALMUS LXI.

Titulus : *In finem pro Idithum , Psalmus David. vide Ps. 38.*

Argumentum est *exhortatio ad patientiam in adversis, & confidentiam in Deo ; cujus occasione agitur de vanâ confidentiâ in divitiis.*

ψ. 1. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

Vir justus graviter tentatus, & fortiter reluctans, clamat : nonne æquum est, & mihi utilis, ut Deo subjiciar, quàm avaritiæ, luxuriæ &c. Hi affectus, qui mihi dominari affectant, solùm pollicentur stipendium mortis æternæ ; Deus verò , si ei fideliter obediero, promittit, & certò præstabit salutem.

ψ. 2. *Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus ; susceptor meus, non movebor amplius.*

Nec solùm à Deo pendet salus mea, sed ipse est *Deus meus*, hebraicè, fortitudo mea hìc, & postea salus mea, & in utrâque susceptor meus, qui & nunc suscipit protegendum, & tunc suscipiet coronandum : ideo non nutabo, sed fortis permanebo ; licèt tentationibus quatiar.

ψ. 3. *Quosque irruitis in hominem ? interficitis universi vos : tanquam parieti inclinato, & macerie depulsa.*

Postquam de se locutus est , deflet stragem
ani-

animarum, quam per arma avaritiæ, iræ, luxuriæ &c. Dæmones quotidie faciunt. Quousque non cessatis, insidiando generi humano irruere in hominem impetu astutiæ, & insatiabilis desiderii vestri? undique stragem editis universi vos maligni spiritus: vim facitis homini, ob labem originalem in malum prono, velut parieti inclinato, non solido, sed ex luto, & paleis facto, ut maceria potiùs, quàm murus dici possit. Mirè hìc describit Dæmonum potentiam, crudelitatem, & ipsius hominis fragilitatem.

¶. 4. *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.*

Ratio, cur Dæmones ita hominem impugnent. Ideo tentant, ideo concupiscentias excitant, ut pretium, quo redemptus sum, repellant à me, & dignitatem, atque honorem illum æternæ gloriæ mihi adimant. Sed ego tanto ardore cucurri ad bravium supernæ vocationis, quanto illi cucurrerunt ad illud à me repellendum. Ore suo blandiebantur, hortantes ad voluptates hujus vitæ, tanquam res bonas, atque utiles: interim corde maledicebant, scientes eas ipsas esse venenum animæ, & ad impediendam lætitiàm æternam instrumenta aptissima.

¶. 5. *Veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*

ψ. 6. *Quia ipse Deus meus, & Salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.*

ψ. 7. *In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.*

Redit ad duos primos ψ. ψ. ut ostendat, magnis quidem se urgeri tentationibus; sed tamen in amore Dei fundatum, ejus ope fretum nihil timere. Quantumvis hostes fremant, tu, anima mea, tacita, & subjecta, Deo obedias: quia ipse tibi præstabit auxilium ψ. 6. patet ex ψ. 2. Illud, *non emigrabo* idem est cum illo, *non movebor* in ψ. 2. Concludit ψ. 7. se à Deo omnia expectare, finem, & media: à Deo expecto salutem, seu liberationem à malis; gloriam æternam, quæ est summum bonum, ipse est fons gratiæ, quâ adjutus perveniam ad finem illum, & ideo tota spes mea in eo est.

ψ. 8. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.*

Hortatur ceteros, ut similiter in Deo confidant. Sperate in Deo omnes homines, non Judæi solum, sed etiam gentes. Securè confitemini Deo ærumnas vestras, & orate eum, nam adjutor noster est, & nunquam despicit orationes sperantium in se.

ψ. 9. *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant, ipsi de vanitate in id ipsum.* Verùm

Verùm quia pauci consilium suum sequi volunt, invehitur in multitudinem iniquorum. Sed plerique homines vani, insipientes sunt, quia mendaces in iudicio rectæ rationis, in discernendis bonis, & malis veris ab apparentibus, se ipsos decipiendo : & licet variis modis vani sint, in hoc tamen conveniunt, ut sint vani, & mendaces.

¶. 10. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere : divitia si affluant, nolite cor apponere.*

Dehortatur ab avaritiâ, quæ est radix omnium malorum ; & prohibet lucrum injustum, tum ex occultâ injustitiâ, quale est calumniantium, tum ex manifestâ, quale est rapientium. Ad opes etiam justè acquisite nolite affectum ponere.

¶. 11. *Semel locutus est Deus : duo hæc audiavi ; quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia ; quia tu reddes unicuique juxta opera sua.*

Concludit rationem dans, cur non sint appetendæ divitiæ, & cur à peccato cavendum. Illud *semel locutus*, non videtur cohærere cum sequentibus, *duo hæc audiavi* ; S. Aug. sic exponit : Deus unum verbum tantùm dixit ab æterno, & illud manet in æternum, & æquivalet innumerabilibus verbis. Porro duo, quæ David

D s

audi-

audivit, & nobis nuntiet, hæc sunt: unum, quòd potentia, & misericordia in Deo sint; illa ut timeatur, ista ut ametur: alterum, quòd reddet unicuique &c., ita ut neque injustè oppressurus sit aliquos per potentiam, nec misericordia ejus sit præjudicatura justitiæ. Et verè, qui ista duo seriò cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

Titulus: *Psalmus David, cùm esset in deserto Idumææ.*

Non legitur David latuisse in deserto Idumææ, sed Judææ, Reg. 22. & 23.; non est tamen contemnenda lectio vulgata editionis, quam etiam tenent Hilar. Hieron. & Aug. nam probabilius videtur desertum Judææ vocatum esse desertum Idumææ amplificandi gratiâ: quo modo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma.

Argumentum est oratio Davidis, qui occasione deserti, in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, & sibi similium justorum, & desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi hujus ad patriam celestem.

ψ. 1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*

ψ. 2. *Sitivit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea?*

*Describit vir justus prima sua diei opera. Tu
Deus*